



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 2. Quibus hæc facultas à iure sit concessa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

dam. Sub his autem tribus pastoribus comprehendimus omnes alios, qui ad illos reducuntur, iuxta superius dicta.

3
Assertio
secunda.

Secundo hinc fit, vt facultas hæc ad eligendum confessorem, data à superiore prælato, omnino sufficiat sine facultate inferioris, imo etiam ipso renuente, scilicet, licentia Episcopi independenter à paroco, & licentia Papæ independenter ab vtroq; quia iurisdictio superioris non pendet ab inferiore, sicut diximus de alio genere delegationis: nam est omnino eadem ratio: ideoque talis facultas non tantum ad substantiam sacramenti, sed etiam ad præceptum tam diuinum, quam Ecclesiasticum implendum sufficit, sicut de alio modo delegationis diximus, possunt enim hic omnia ibi dicta applicari. At vero è contrario, quamuis inferior pastor non indigeat positiuo consensu superioris ad dandam hanc facultatem, tamen necesse est, vt ille non contradicat, reuocando, aut impediendo facultatem. Est enim facultas inferioris subordinata superiori, qui potest ex rationabili causa inferiori prohibere, & omnino impedire ac suspendere, ne talem præbeat facultatem: & tunc si inferior tentet illam concedere, non solum male faciet, sed etiam facultas nullius momenti erit, quia tunc iam deest illi iurisdictio, seu vsus iurisditionis ad illam ferendam.

4
Dubium.
Sententia
affirmatiua.
Palud.
200.

Ex quo obiter soluitur incidens dubium, an hæc facultas data à pastore excommunicato, vel suspensio valida sit, & sufficiat ad veram confessionem faciendam. Nam aliqui auctores affirmant, vt Palud. in 4. d. 17. q. 4. nu. 26. & 27. & Antonin. 3. p. tit. 17. cap. 9. qui in hoc fundantur, quod per hanc facultatem non datur iurisdictio, quia sacerdos ex se, & iure diuino illam habet, sed aufertur tantum prohibitio introducta per Ecclesiam: vnde potius, inquit, est permissio, quam commissio. In quo certe non consequenter loquuntur: nam paulo superius dixerant, per hanc commissionem constitui iudicem qui non erat, & accipere potestatem iurisditionis, quam non habebat. Quam contradictionem in eis notauit Nauarr. in dict. cap. Placuit, nu. 95. quamuis eorum sententiam quoad hanc partem approbet, dicens, illam facultatem esse validam, ex eodem principio, scilicet, quod per illam non datur iurisdictio, sed remouetur tantum prohibitio.

Nauarr.

5
Negatiua
sententia
certa iudi-
catur.
Sylu. 8.
200.
Victor.

Sed oppositum censeo verum, scilicet, illam facultatem esse nullam. Quod tenet Syluester verb. Confessio, 2. Soto in 4. d. 18. q. 4. art. 3. Victoria in Sum. nu. 152. Et ratio est primo, quia opposita sententia nititur fundamento, quia ex vi huius facultatis reuera datur iurisdictio sacerdoti electo: nam ex vi solius diuini iuris illam non habet: qui autem suspensum habet iurisditionis vsus, non potest iurisditionem dare. Secundo, etiam dato illo fundamento, sententia illa est falsa: quia concessio hæc facta penitenti, quamuis solum esset ablatio impedimenti, vt ipsi dicunt, nihilominus non posset esse valida, quia reuera est actus iurisditionis: omnis autem actus iurisditionis factus ab eo, qui iurisditionis vsus non habet, inualidus est, vt habetur in cap. 1. de Offic. Vicarij, lib. 6. & est per se euident, quia omnis actus iurisditionis est vsus eius: qui ergo caret vsu, vt sic dicam, caret omni actu, ergo nullum potest validum efficere; ergo neque illa facultas valida esse potest. Nam quod eius concessio fit quidam iurisditionis vsus, manifestum est, quia vt minimum est quædam dispensatio in prohibitione Ecclesiæ non confitendi alieno confessori. Igitur ad hanc facultatem valide concedendam necessaria est potestas iurisditionis expedita quoad vsus, seu nullo canonico obstaculo impedita. Et hæc de potestate.

De concessione autem ipsa duo tantum in gene-

re dicere possumus. Primum est, pendere ex voluntate concedentis, vt per se constat: ideoque necessarium esse, vt talis voluntas per sufficientia signa constet: quantum enim ex illis constiterit, tantum facultas operabitur, & non amplius. Tribus autem modis intelligi potest hæc facultas concedi, scilicet, vel à iure, vel ex consuetudine, vel personaliter à prælato seu pastore, de quibus sigillatim postea dicemus: nam in singulis aliquid speciale occurrit, tã de concessione ipsa, quam de modo, & signis, quibus fieri potest. Aliud adnotandum est, vt hæc facultas non solum valide sed etiam licite detur, nullam specialem causam esse necessariam, sed sufficere penitentis petitionem, dummodo nullum sit morale periculum, quod tali facultate male vtetur, & in perniciem animæ suæ. Dices, omnis Dispensatio in lege requirit aliquam iustam causam: diximus autem esse hanc dispensationem quandam. Respondetur primo, potius esse concessionem iurisditionis, quam dispensationem: concessio autem iurisditionis potest mere liberaliter fieri, si aliqui ei concedatur, qui prudenter ea vsurus creditur. Deinde, etiam si demus illam esse dispensationem: talis tamen est, vt per ipsam legem simpliciter permittatur. Nam ita prohibet ius confiteri alieno, vt in ipso adatur; Nisi de licentia proprij, vt patet ex c. Omnis vtriusq; sexus. Denique talis est hæc facultas, vt veluti intrinsece habeat adiunctam rationabilem causam (quando aliunde ex accidenti non occurrit impedimentum) scilicet, vt confessio facilius, & suauior fiat, & vt tollantur impedimenta, quæ ad integritatem ex humana fragilitate accidere possunt, vt iterum circa casus reseruat explicabimus.

Tertioq; iuris.

Non est
necessaria
causa
causa
causa
causa
causa
causa

Dei.

SECTIO II.

Quibus sit à iure concessa facultas eligendi Confessorem.

De duplici iure loqui possumus, scilicet diuino, & Ecclesiastico, & de vtroque breuiter dicemus. Primo ergo dicendum est, Summum Pontificem solum habere ex iure diuino facultatem eligendi sibi confessorem. Prior pars de Pontifice patet: quia, etiam ipse potest, & debet confiteri, si conscientiam peccati habeat: quia hoc ius diuinum est omnibus commune: & vtilitas respectu venialium, & necessitas medij, & consequenter præcepti respectu mortalium, eadem est in illo, quæ in cæteris omnibus, vt infra etiam dicemus agentes de præcepto: ergo necesse est, vt possit habere confessorem: non est autem aliquis designatus iure diuino, cui confiteri teneatur, vt per se constat: neque etiam iure humano: quia ipse est supremus pastor: ergo necesse est, vt ab ipso deligatur: ergo habet ad hoc potestatem, & non ab homine, quia non habet superiorem in terris, ergo immediate à Christo. Hoc vero argumento vt solent maxime auctores, qui dicunt omnes sacerdotes habere iurisditionem in hoc foro iure diuino, quod respectu Pontificis dicunt manere integrum, & suæ electioni commissum: quia prohibitio Ecclesiastica non comprehendit Pontificem. Alij vero respondent esse speciale in hoc casu, quod confessor habeat iurisditionem supra Pontificem Summum immediate ab ipso Christo. Ita Palud. d. 17. q. 3. arti. 4. & Capreol. d. 19. ad argum. contra 2. conclus. Cano in Relect. part. 5. Ruard. art. 3.

Primæ
causæ
causæ
causæ
causæ
causæ
causæ

Palud.
Capreol.
Cano.

Sed verius dicitur, quod licet potestas ex parte Pontificis sit à iure diuino, tamen iurisdictio etiam in eo casu transferatur in confessorem medio Pontifice. Ita D. Tho. in 4. d. 19. q. 1. artic. 3. q. 2. vbi ait, Pontificem vt peccatorem subici, vt Vicarium autem Christi dare iurisditionem supra seipsum in illo foro. Idem ibi Bonauentura artic. 3. part. 2. Gabr.

Ruard.
2.
D. Thom.
Bonau.

Gabr. art. 3. dub. 3. Soto d. 18. q. 4. art. 2. Ledef. 2. p. 4. q. 22. arti. 1. Medina q. de Sacerdote alieno absolvente sine licentia proprii, ad 2. Turcremata lib. de Ecclesia, c. 8. & alij. Et patet facile, quia per generalem concessionem potuit hoc fieri: non est ergo necessarium speciale privilegium fingere. Item, Pontifex concedens generalem indulgentiam lucratur ipsam: potest etiam ipse dispensare in votis suis, & in præceptis positivis, quatenus illum comprehendunt: & hæc potest committere suo confessori, quia sunt actus iurisdictionis: ergo idem erit de iurisdictione ad absolvendum. Est autem discrimen, quia alios actus potest exercere per seipsum circa seipsum: hæc autem minime, quia distinctio personarum penitentis, & confessoris est de substantia sacramenti, ut constat ex forma, & ex supra dictis: sicut non potest alicui sacerdoti concedere, ut seipsum absolvat.

Altera vero pars exclusiva probatur contraria ratione: quia nullus præter Pontificem caret in terris proprio pastore, seu iudice in hoc foro, ut ex supra dictis constat: & ideo, stando in iure diuino, in omnibus aliis verum habet, quod in cap. Omnis vtriusque sexus, dicitur neminem posse confiteri, nisi proprio sacerdoti, vel delicti eius, quod ex sequenti puncto clarius constabit. Sed quæres, unde constat de hoc speciali privilegio, aut de diuino iure? aut ubi est illi datum, si alius concessum non est? Respondeo, hanc non esse distinctam concessionem factam Summo Pontifici, sed in ipsamet suprema iurisdictione, diuino iure ipsi data, contineri. Nam, sicut ex illius suprema iurisdictione potest dare iurisdictionem pro aliis, ita & pro se: & sicut potest dare aliis facultatem eligendi confessorem, ita & sibi potest accipere: sicut ergo singulare in illo est habere iurisdictionem ex iure diuino, ita etiam habere facultatem eligendi confessorem.

Episcoporum facultas ad eligendum confessorum explicatur.

Secundo dicendum est, Episcopos, & eorum superiores, nec non etiam inferiores prælatos exemptos habere ex iure Ecclesiastico facultatem eligendi sibi confessorum. Ita habetur in capit. vlt. de poenit. & remiss. Nam licet contendat Nauarrus ca. 27. nu. 266. etiam hoc esse diuini ius: tamen repugnat verbis textus quibus Pontifex ait se id concedere, seu permittere, ne penitentia differatur. Soto vero d. 18. q. 4. art. 2. dicit, etiam Episcopum dare potestatem & iurisdictionem suo confessori, cum illum eligit. Sed non probo, quia Episcopus habet superiorem, & pastorem proprium: qui, sicut dat Episcopo facultatem eligendi, ita confessori electo dat iurisdictionem: unde posset Pontifex, si vellet, præscribere Episcopis alium modum habendi confessores. Atque hæc est communior sententia, quam tenet Turcremata in cap. Quem penitent, de poenit. d. 1. & Palud. d. 17. q. 3. & ibi Gabr. q. 2. art. 3. dub. 2. Anton. 3. p. tit. 17. c. 9. Syluest. Confessor, 1. §. 2. & 8. Angelus, Confessor, 3. Caiet. verb. Absolutio, c. 2. Ad hoc autem privilegium explicandum nonnulla breuia dubia expedienda sunt.

Primum dubium est, quid nomine Episcopi in eo textu intelligendum sit: scilicet, an qui est consecratus & Episcopatum non habet, sibi comprehendatur: vel è conuerso qui est electus, & Episcopatum habet, nondum vero est consecratus. Et quidem de electo tantum certum est non comprehendendi, quia non est Episcopus, sed designatus tantum in Episcopum: unde adhuc manet subditus eidem proprio sacerdoti, quem antea habebat. Ille vero, qui iam est confirmatus: ita ut Episcopatum iam habeat, reuera comprehenditur, quia iam est verus Episcopus.

Fr. Suarez. tom. 4.

scopus, & non habet proprium Parochum præter Pontificem. De illo vero, qui à contrario, consecratus est Episcopus, Episcopatum autem non habet, nec iurisdictionem, Palud. dubitat, & inclinare videtur in partem negantem. Mihi autem videtur illum posse hoc iure uti, tum quia ille est vere & simpliciter Episcopus, & in textu nihil aliud requiritur: tum etiam, quia non oportet fauorem restringere, sed ampliare quantum proprietates verborum admittit. Adde vero, si quis Episcopus esset degradatus, non posse uti hoc privilegio: quia quamuis non priuatur ordine: quia hoc fieri non potest: priuatur tamen executione sui ordinis quantum per Ecclesiam potest; & ideo etiam priuatur privilegio sibi concessis ratione ordinis, vel consecrationis. Idem dicunt aliqui de deposito, vel suspensio. Sed sine dubio verum non est, quia ille solum impeditur vsu ordinis, vel iurisdictionis in ministerio, vel officio proprio suæ potestatis: non priuatur autem privilegio omnibus, & gratis Episcopis concessis. Et idem censo de deposito tantum verbaliter, quia etiam non priuatur privilegio clericali, vel Episcopali proportionaliter, solumque differt illa depositio à suspensione generali in perpetuitate, ut dicitur in sequenti opere.

Secundum dubium est, quis intelligatur nomine superioris Episcopi. In quo constat intelligi Archiepiscopos, Primate, Patriarchas: solum de Cardinalibus non Episcopis tam iurisdictione, quam consecratione dubium esse solet. Palud. enim, & Soto dicunt illos non gaudere hoc privilegio, quia ex vi suæ dignitatis iurisdictionem non habent: unde nec vere dici possunt superiores Episcopis. Angelus vero, & Syluest. contrarium docent. Quod mihi videtur posse satis secure & probabiliter defendi, quia quamuis non sint superiores potestate, seu iurisdictione; tamen iam iuxta communem vsum Ecclesiæ censentur superiores dignitate. Et Pontifices, ac Ecclesia Romana ita de illis loquuntur. Et aliunde fauet ratio privilegij, quæ extensione patitur, quantum verba in propria significatione admittunt. Quod vero ad praxim pertinet, non multum hoc refert, quia certum est illos gaudere & uti hoc privilegio eligendi confessorum, ut Caietanus refert in Summa verbo Absolutio, 2. siue hoc sit ex vi huius iuris, siue ex aliis concessionibus Pontificum, siue ex consuetudine.

Tertium dubium est, an Parochi ibi comprehendantur sub illa tertia particula, Prælati inferiores. Et ratio dubij esse potest: quia in iure interdum dicuntur Parochi habere prælationem, cap. Tu nos, de clericis & agrotante. Et confirmatur ex illo principio, quia Privilegia extendi debent. Et ita sentiunt Syluest. & Angelus cum Panormitano. Sed in rigore probabilius videtur contrarium: nam reuera simpliciter & absolute nunquam Parochi dicuntur prælati in iure. Quin potius in Clement. Dudum, de Sepult. fit aperte distinctio inter Parochos & prælatos, ut ibi notauit Glossa verb. Prælati. Unde alia Glossa in cap. Decernimus, de iudiciis: dicit, de ratione prælati esse, ut habeat aliquam iurisdictionem Ecclesiasticam in foro contentioso: & ad hoc multa congerit. Adde, Parochos nunquam esse exemptos, quod necessarium est ad gaudendum hoc Privilegio, ut patet ex ipso textu. Si vero contingeret aliquem Parochum esse exemptum, & immediatum Pontifici Summo, probabile est posse uti hoc iure, propter rationem eius, & quia verba possunt aliquo modo accommodari, secus vero si non esset immediate subiectus Papæ, sed alicui Abbati exempto, vel alteri simili: nam tunc ille non est proprie exemptus: sed proximus superior eius: scilicet, Abbas, vel alius similis Prælati, est proprie exemptus, & licet non sit proprie Episcopus, habet tamen iurisdictionem Episcopalem participatam; & ideo non

Gg 3 est cur

Soto.

Turcrem.
Palud.
Gabr.
Anton.
Syluest.
Angel.
Caiet.

1. dub.

Dicitur.

Palud.

2. dub.

Palud.

Soto.

Angel.

Syluest.

Rejolet.

Caiet.

7

3. dub.

Syluest.

Angel.

Qui sine

Prælati.

est cur ad parochos illi subiectos hoc extendatur privilegium ex vi huius iuris: nam de consuetudine infra dicam.

Quartum dubium est, an oporteat illum praelatum, qui veitur hoc privilegio, habere iurisdictionem in hoc foro. Sunt enim aliqui praelati habentes iurisdictionem Ecclesiasticam in foro externo, quamvis non in foro poenitentiae, ut dicuntur esse quidam Archipresbyteri, & in curia Romana sunt plures; vt Auditor Cameræ, & alij, de quibus aliqui censent non gaudere hoc privilegio, etiam si exempti sint. Ita sentit Palud. quod probat, nisi quia hi non videntur esse praelati in hoc foro. Contrarium tamen verius existimo, cum Syluestro, & alijs, tum quia textus simpliciter loquitur de praelatis Ecclesiasticis, inter quos isti comprehenduntur: tum etiam quia ratio privilegij, scilicet, ne periculum immincat animarum, etiam in his habet locum, si vere exempti sint: tum denique, quia privilegia non sunt restringenda, nisi satis constet. Solum notandum est, non dici praelatos, nisi cum habent iurisdictionem propriam, id est, proprio iure seu titulo. Vnde Vicarij Episcoporum, seu aliorum praelatorum qui solum ex commissione, seu vice aliorum iurisdictione vtuntur, non comprehenduntur sub praelatis, neq; gaudent hoc privilegio. Aduertendum est etiam, hos praelatos tandiu posse vti hac facultate, quandiu officium praelationis tenent, vt si temporale sit, tantum pro tempore quo durat, si sit perpetuum, quantum illud non renunciauerint: quia hæc facultas tantum conceditur praelatis. Vnde si desinunt esse praelati, iam non gaudent illa. Secus vero est, si tantum loco distent à suo territorio, quia nihilominus praelati manent: & ideo praelatorum facultate vti possunt.

Quinto difficile ad explicandum est, qui vocentur exempti. Quidam dicunt esse illos praelatos, qui in foro subiacentur immediate soli Summo Pontifici. Ita tenet Angelus supra num. 5. citans Hostiensium, & Panormitanum. Et illis videtur fauere ratio decreti, scilicet, ne pro dilatione poenitentiae periculum immincat animarum: quæ ratio solum videtur habere locum in iis, qui immediate subduntur Summo Pontifici, quia non possunt facile illum adire: si vero habeant alium superiorem, facile possunt conuenire illum, vel ab illo confessorem postulare. Alij vero per exemptos intelligunt omnes praelatos, qui in hoc foro non subduntur Episcopis, etiam si habeant alios superiores præter Papam, quorum exemplum extra religiones fortasse non inueniuntur: huiusmodi sunt Prouinciales religionum, & aliqui superiores immediati, vt Abbates, & similes iuxta diuersum usum & iurisdictionem, quæ illis in religione conceditur. Ita sentiunt Syluest. & Palud. quorum sententia mihi placet, solum propter illud verbum textus, Possunt eligere confessorem sine sui superioris licentia, quod supponit posse habere superiorem, cuius licentia esset necessaria non existente hoc privilegio.

Nec dici potest, illum superiorem esse Summum Pontificem, tum quia ipse Pontifex est, qui hanc facultatem concedit; vnde repugnat, qui illa vtitur, eligere confessorem sine Summi Pontificis licentia: tum etiam, quia loquitur de superiore tanquam de alio distincto. Dices, id non esse consentaneum his, quæ supra dicebamus de parochis habente praelatum superiorem exemptum. Respondedo, esse dissimilem rationem: nam huiusmodi parochus nullo modo est exemptus, sed solus praelatus eius exemptus est; praelati vero religionum, etiam si inter se subordinationem habeant, omnes exempti sunt, vel potius totum corpus religionis adæquatè est exemptum. Adde vero, hoc esse intelligendum cum aliqua limitatione, & moderatione: scilicet, nisi iuxta specialia privilegia, vel in-

stitutionem à Pontificibus probatam praelatus inferior religionis habeat cōfessorem designatum à suo praelato superiore, qui iam est veluti ordinarius iudex, & pastor eius in hoc foro: quia tunc nec ratio huius textus locum habet; neque est verisimile per hoc generale ius derogari specialia iura spectantia ad convenientem ordinem religionis, argumento, cap. 2. de poenit. & remiss. in 6. Quod multo certius erit, si privilegia religionis post illud commune ius concessa, vel confirmata sint. Quoties vero contigerit praelatum religionis non habere à superiore confessorem designatum, siue quia id non est in more religionis, siue quia de facto contingit vt non habeat, tunc vti poterit hac facultate. In quo etiam fernare debet, vt alia etiam propria iura seu privilegia religionis custodiat, eligendo confessorem intra ipsam religionem, & non extra, propter easdem rationes. Denique addendum est, hoc non esse extendendum ad Abbatissas, quantumvis exemptas, vt Syluester superius notauit, quia sub nomine praelatorum in omni proprietate non comprehenduntur, cum iurisdictionem Ecclesiasticam non habeant.

Sextum dubium est, an hæc facultas spiret seu finiat in vno actu, id est, an tantum detur facultas eligendi semel vnum confessorem, qui postquam electus est, immutabilis maneat. Et ratio esse potest, quia in ipsa facultate in singulari dicitur, vt possit eligere discretum confessorem: & quia similes facultates in iure ita intelligi solent, vt vno actu finiantur. Respondetur non determinari vno actu, sed per hanc facultatem posse, qui illam habet, suo arbitrio eligere plures confessores, vel sæpe eundem. Ita Palud. supra, & Antonin. 3. p. tit. 17. cap. 9. & Nauarr. dist. cap. Placuit, n. 166. Et ratio est clara, quia nisi hoc privilegium ita intelligeretur, fere nullius momenti esset, nec per illud consequeretur Pontifex quod intendit. Item, si moriatur, vel impeditur sit confessor prius electus, indubitatè est posse alium loco illius substitui ex vi eiusdem privilegij: sed privilegium non extenditur propter necessitatem vel impedimentum alterius: ergo illud fieri potest ex sola voluntate & arbitrio eligentis. Præterea, quia nulla est ratio cur prima electio maneat immutabilis. Denique vsus etiam hoc confirmat. Vnde in textu in singulari ponitur confessor, quia electio semper in particulari fit circa vnum confessorem: non quia illa non possit sæpius fieri. Quod si aliquando in iure nonnulla similia rescripta intelliguntur finiri vno actu, illud est, quia sunt odiosa, secus vero est in gratiosis privilegijs, nisi aliud euidenter constet, aut ex verbis, aut ex materia subiecta.

An in aliquo casu habeant fideles à iure facultatem eligendi confessorem.

Tertio dicendum est, præter hanc facultatè nullam aliam esse ipso iure Pontificio datam ad eligendum confessorem. Probatio huius assertionis solum potest esse negatiua: quia nullum tale ius inuenitur. Et quidem de alijs particularibus seu privilegiatis personis nullum tale ius ab autoribus assertur, neque de hoc inuenio opinionum varietatem. Tamen de omnibus fidelibus pro aliquo casu inuenitur quoddam speciale ius in cap. Placuit, 9. q. 2. de poenit. d. 6. vbi multi intelligunt concessam esse cuiilibet fidei facultatem eligendi confessorem, si proprius sacerdos sit ignorans. Atque ita intellexerunt illum textum plures iuris interpretes cum Panormitano in cap. Omnia vtriusque, & ex Theologia Magist. in 4. d. 21. in fine, vbi etiam Bonauent. in expositione literæ, id tenet. Et Richard. d. 17. articu. 3. q. 7. vbi Gabr. q. 2. articu. 3. & Palud. quest. 3. Anton. 2. p. tit. 17. cap. 4. & Adrian. q. 5. de Confessione, & Medin. Cod. de Confess. q. 37. de licentia curati confin-

4. dub.

Palud. Solutur. Syluest.

5. dub. qui so-centur exempti. 1 opin. Ange.

2. opin. probatur.

Syluest. Palud.

Alia obiecta dicitur.

6. dub.

Solutur.

15

Panorm. Magist. Bonau. Rich. Gabr. Palud. Anton. Adrian.

conferendi alieno. Nauarr. etiam in eod. cap. *Placuit*, num. 150. & in Sum. c. 9. num. 3. eodem modo intelligit textum illum. Existimat tamen (consequenter ad suam sententiam de origine huius iurisdictionis) ibi non concedi facultatem aliquam iure humano, sed in eo explicari ius diuinum: nam, cum propter ineptitudinem seu incapacitatem proprii sacerdotis cesset obligatio Ecclesiastica præcepti subiciendi se illi potius, quam alteri, reuocatur penitens ad statum iuris diuini, in quo præcisè stando, omnes, utiple putat, habent facultatem eligendi confessorem. Sed procedit ex falso fundamento: & ita nonnulla falsa infert, quæ postea videbimus. Reliqui ergo auctores speciale priuilegium putant esse ibi concessum iure humano. Quod etiam admittit Cano dict. relect. p. 5. ad dicit tamen esse reuocatum illud ius per cap. *Omnis vtriusque sexus*. Sed non recte, quia cap. *Omnis vtriusque*, quoad hanc partem non condit nouum ius: sed solum proponit, quod de iure diuino necessariam est: scilicet, ad confitendum alieno, necessarium esse scientiam proprii, non tamè propterea reuocat licentias iure humano concessas, si quæ erant.

Ex alijs vero auctoribus, quidam dicunt, in eo casu necessarium esse saltem postulare licentiam à Parocho, licet non obtineatur. Ita Adrianus, & Nauarr. vt subditus, inquit, in eo quod potest, impleat decretum capituli, *Omnis vtriusque sexus*. Paludan. vero negat tunc esse necessarium petere licentiam à Parocho: & magis consequenter loquitur: quia vbi licentia obtenta non est necessaria, nec petita, ex sola rei natura requiritur: sed si in aliquibus rebus necessaria est, illud est, vel propter speciale ius posituum, vel quia ante negatam expresse licentiam subditus non habet ius aliquod faciendi. In præsentibus vero nullum est speciale ius mandans postulari hanc licentiam. Nam in cap. *Omnis vtriusque sexus*, nullum circa hoc fertur speciale præceptum Ecclesiasticum, sed explicatur diuinum: ex iure autem diuino nunquam est necessarium postulare hanc licentiam, nisi vbi necessarium est vt obtineatur. In dicto autem cap. *Placuit*, simpliciter, & sine limitatione ponitur exceptio, *Nisi per ignorantiam*, &c. ergo absolute datur penitenti ius & facultas ad eundem alium confessorem: ergo supposita illa interpretatione, nullum est fundamentum imponendi penitenti illud onus petendi licentiam.

Rursus est alia differentia, quod Nauarr. in eo casu putat, si proprius Parochus sit ignorans, non teneri subditum confiteri & Episcopo, vel ab illo facultatem petere, etiam si ad illum facilis pateat aditus: quia cap. *Placuit*, simpliciter loquitur, & restringendum non est: & quia hoc ipso quod Parochus est ineptus minister, ex diuino iure habet Parochianus ius eligendi alium. Melius vero Anton. Hostiensis, & alij dicunt, si potest facile peti licentia confitendi ab ipso Episcopo, necessarium id esse tam ex vi iuris diuini, quam ex vi illius cap. *Placuit*: Patet, quia deficiente Parocho, vt v. g. si moriatur, non manent illa oues sine aliquo proprio sacerdote, sed tunc immediate subiciuntur sibi Episcopo: ergo, si possunt illum audire, non est vnde habeant facultatem ex vi iuris diuini, etiam si admitteremus ante prohibitionem Ecclesiæ, seu diuisionem iurisdictionum id fieri potuisse. Quando autem Parochus est ignorans seu ineptus, ad summum se habent oues eius tanquam carentes proximo iudice in hoc foro; non vero tanquam omnino carentes proprio pastore: ergo semper tenentur licentiam illius postulare, si possint. Rursus cap. *Placuit*, non loquitur specialiter de proprio Parocho, sed simpliciter de sacerdote, cui alter commissus est: non autem commissus tantum Parocho, sed etiam Episcopo: ergo, quamuis Parochus sit ignorans, adhuc manet integrum ius

A Episcopi. Sicut, si quis haberet duos parochos, & vnus eorum esset ignorans, non propterea posset statim vt facultate eligendi confessorem, si alter Parochus esset sufficiens. Secus vero esset, si vterque Parochus esset ignorans. Et ita etiam in proposito casu, si Episcopus esset æque ignorans, cessaret obligatio ad eundem illum. Statim vero occurrit interrogandum, an oporteat tunc facultatem petere à Summo Pontifice. Ita enim videtur consequenter dicendum, ex vi illius capit. *Placuit*, dicto modo intellecti: nam, si præcisè siteremus in iure diuino, eadem proportio esset seruanda, per se loquendo, vt rationes factæ probant, licet per accidens fere semper intercedat excusatio: quia aditus ad Summum Pontificem regulariter difficilis est. Tamen in hoc cap. *Placuit*, ipse Summus Pontifex est, qui facultatem concedit eligendi confessorem ob ignorantiam proprii, si omnes inferiores sacerdotes inferiores Pontifex sint ignorantes, & ideo ex vi illius concessionis non est necessarius recursus ad Summum Pontificem.

Præterea est alia differentia circa sacerdotem eligendum ex vi illius iuris. Nam quidam dicunt, ex vi illius facultatis, non esse liberum fidei statim eligere quencunq; voluerit sacerdotem, etiam idoneum, & nunc etiam approbatum ab Episcopo, sed oportere in hoc seruare aliquem ordinem. Nam si esset aliquis sacerdos habens iurisdictionem delegatam ab ipso met Parocho, deberet penitenti illi confiteri, si esset idoneus: vel si essent plures huiusmodi, inter eos tantum posset eligere. Et hoc censeo verum, quia illi qui omnes reputantur vt Vicarij Parochi, & consequenter habent locum proprii sacerdotis. Item: quia, licet Parochus sit inhabilis ad exercendum per se hoc munus, nihilominus non amittit ius committendi vices suas alteri, neq; ad hoc est ignorans: vnde non est verisimile per illud cap. *Placuit*, priuari Parochum hoc iure: ergo, si ipse habeat designatos habiles confessores, tenentur oues illos eligere, & non alios. Sicut si parochus nondum sit ordinatus sacerdos, & aliquem dignum coadiutorem sibi eligat, parochiani tenentur per se loquendo, illi confiteri.

Dices: Ergo hac ratione tenebitur parochianus petere licentiam à Parocho ignorante, & non habente coadiutorem idoneum, vt si velit, designet determinate aliquem idoneum confessorem: quia non tenetur generalem facultatem concedere subdito eligendi quem velit: ergo nec intelligendum est, hanc facultatem esse iure concessam, donec constet, illum male vt iure suo, non dando confessorem idoneum, eum ipse ignorans sit. Respondeo, *Deciso*, hoc modo fieri probabilem opinionem Adriani supra tractatam. Nihilominus tamen negatur sequela, nam ad ipsum parochum spectat vt hoc iure suo: si velit, delegando iurisdictionem suam sacerdotibus idoneis: quod si ex se id non faciat, non tenentur subditi hoc ab eo petere, aut exorquere, si vera est sententia, quam nunc prosequimur, quod tunc ex vi huius iuris habent facultatem eligendi confessorem, quia sibi simpliciter datur, & sine tali onere.

Additur vero à quibusdam in xta hanc sententiam, licet Parochus non habeat proprium coadiutorem, si sint alij sacerdotes idonei habentes iurisdictionem delegatam ab Episcopo in huiusmodi parochiano, aliquem ex illis esse eligendum, & non alium. Quod etiam censeo consequenter dictum: quia in eo casu tenentur fideles Episcopum suum adire, si possint, vt diximus: ergo, si non possunt, aut si nolunt illum adire, tenentur accedere ad iudices ab ipso delegatos: quia illi tunc etiam gerunt vicem proprii. Hinc rursus additur, si nullus sit delegatus à Parocho, vel Episcopo, sit tamen aliquis habens iurisdictionem delegatam à Papa, vt sunt nunc religiosi, aliquem

aliquem ex illis esse necessario eligendum: quod si nullus sit huiusmodi, qui eligi possit: si vero aliquis sacerdos idoneus habens alias iurisdictionem in hoc foro, quamvis non habeat in hunc parochianum illum esse eligendum, v.g. Parochum alterius Ecclesie potius, quam simplicem sacerdotem; hunc vero solum eligi posse quando & idoneus est, & alius non occurrit, quia iurisdictionem habeat.

18
Duae restrictio-
nes supra
propositae
reiciuntur.

Aliis vero hæc duæ ultimæ restrictiones non probantur, & videntur magis consequenter loqui: quia non habent fundamentum in dict. c. *Placuit*, & est nimia restrictio favoris sibi concessi, ut supponitur. Deinde de prima restrictione probatur: quia ostensum est non teneri fideles in hoc casu accedere ad summum Pontificem: ergo eadem ratione non tenetur eligere delegatos ab ipso: nemo enim tenetur accedere ad iudicem, qui alterius vices gerit, nisi quatenus per se tenebatur accedere ad ipsum principalem iudicem; vel nisi hoc sit specialiter præceptum, quod hic etiam dici non potest. De secunda vero restrictione patet, quia iurisdictioni sacerdotis, si non sit in ipsum penitentem, per se loquendo, impertinens est ad hoc iudicium: ergo nisi aliquo speciali iure ponatur illa tanquam conditio necessaria in sacerdote eligendo, non est cur exigatur: hic autem nullum est ius postulans talem conditionem: nam textus absolute loquitur de altero sacerdote, si vera est expositio, quam nunc prosequimur.

19
An d. c. *Placuit*, sit extendendum ad defectus alios præter ignorantiam
Opinio communis.

Denique est alia diversitas in hac sententia. Nam dicti auctores communiter censent, quamvis dictum ca. *Placuit*, expresse solum loquatur de casu ignorantie sacerdotis, extendendum esse ad alios, in quibus fuerit eadem ratio, ut casum impotentie, vel malitie contrarie huic ministerio, ut si solet reuelare confessionem, prouocare ad malum, &c. quod quidem iuxta sententiam Nauar. facillime explicatur: quia, si illa non est confessio iuris positivi, seu interpretatio iuris diuini, vbi cumque occurrerit eadem ratio, admittenda erit eadem interpretatio. Supponendo vero esse humanam confessionem, solum potest id suaderi, quia cum hic sit fauor, & priuilegium, ample interpretandum est, quantum recta ratio permittit. satis autem est rationi consentaneum, ut si ex parte sacerdotis alius defectus interueniat æque impediens, ac ignorantia, eadem in illo esse intelligatur iuris dispositio: tum quia valde materiale est, quod ille defectus sit ignorantia, & magis attendendum est ad formalem intentionem legis: tum etiam, quia alias non esset sufficienter prouisum fideibus, quod tamen videtur præcipue intentum in illo capite, iuxta hanc interpretationem. Nihilominus Medina supra existimat hanc facultatem restringendam esse ad casum ignorantie proprii sacerdotis: quia de illa tantum loquitur ille textus, & priuilegia tantum valent, quantum sonant, & non amplius: & illud, quod ibi conceditur, quoddam priuilegium est. Imo addit aliqui, hoc restringendum esse ad tantam ignorantiam, ut ratione illius confessio facta tali sacerdoti sit inualida: quia Pontifex solum videtur voluisse subuenire quasi extremæ necessitati. Sed hæc vltima nimia restrictio est. iuxta quam fere nullius momenti esset illa confessio, quia talis ignorantia, vel nulla, vel rarissima est. Item textus absolute loquitur de ignorantia, & intendit subuenire conscientis fidelium: cur ergo non recte intelligatur de quacumque ignorantia, quæ in eum reddit sacerdotem, ut de tali conscientia possit conuenienter iudicare? Restrictio autem Medinæ satis probabilis est, quia fundamentum habet in verborum rigore.

20
Communis
opinio probatur.

Nihilominus tamen communior opinio, quoad hanc partem, reicienda non est: quia, licet verum sit, hoc ius, seu priuilegium pendere ex voluntate concedentis, quam ex verbis eius, non ex ratione cognoscimus, nihilominus etiam verum est, verbo-

rum interpretationem, & extensionem ex ratione concedentis sæpe colligi: præsertim: quando cognoscitur voluntas eius in omnibus consentanea rationi, ut in præsentibus: & sic facit illud, quod fauores sunt ampliandi. Item, in omni casu impediti ex malitia sacerdotis, aliqua ignorantia practica interuenit (iuxta illud, *Omnia paruum est ignorans*) ratione eius praeue vtitur talis sacerdos ministerio suo, ergo rationabiliter potest omne tale impedimentum sub ignorantia comprehendi. Casus autem impotentie non tam videtur includi in illo textu, quam supponi; cum enim postulet consensum sacerdotis extra casum ignorantie, supponit dari posse, quia non est verisimile rem impossibilem postulare. Sic ergo probabiliter teneri potest ampliatio Glossæ, & communis.

Tota vero hæc sententia supponit traditam interpretationem illius cap. *Placuit*, quam ita fuisse explicatam, quia probabilitate non caret; potestque secure ad praxim applicari, & multa obiter diximus quæ ad alios casus, & præsertim ad ea quæ dicemus Sectione quarta possunt esse vtilia. Nihilominus existimo, iuxta veram intelligentiam illius capituli. *Placuit*, nullam facultatem concedi ipso iure ad eligendum confessorem in aliquo casu, atque adeo tertiam conclusionem positam generaliter veram esse. Et in primis ibi non dari facultatem ex sola interpretatione iuris diuini, satis constat ex dictis supra contra opinionem Nauarri, quibus ostendimus ex vi solius diuini iuris nulli esse datam hanc facultatem nisi soli Summo Pontifici. Quod vero iure Pontificionon concedatur, communior sententia est Diui Thomæ, & Scholasticorum, quos infra referam Sectione quarta: nunc breuiter probatur: quia, ut supra dixi in illo capite, non est sermo de diuisione iurisdictionum, aut parochiarum: nam hæc multo ante Urbanum facta est, semperque fuit obseruata in Ecclesia, saltem quantum ad diuersitatem Episcopatum, & quoad hoc ut presbyteri non possent sine licentia Episcopi confessiones audire, vt ex multis decretis superioribus adductis constat. Deinde id probatur ex illis verbis illius textus, *Nisi per ignorantiam illius, cui penitens prius confessus est*: supponit ergo, penitentem, de quo ibi est sermo, prius esse confessum alicui sacerdoti, & de illo tantum statuit, vt nulli sacerdotum liceat huiusmodi penitentiam commissam alteri sacerdoti ad penitentiam admittere, sine eius consensu, cui prius se commisit. Vbi etiam ex pendo illud relatiuum reciprocum, *se*, nam ex eo constat non esse sermonem de sola commissione facta pastoribus Ecclesie per diuisionem iurisdictionum, sed de commissione & subiectione illa, qua penitens se actu subdit sacerdoti cum voluntate illi confitendi.

Præterea iuxta hanc interpretationem optime intelligitur particula, *Deinceps*, quam etiam ponderat Medina supra, intelligens per illam significari, ante illud tempus ob multas causas solitos fuisse penitentes proprios curatos relinquere, & alienos adire. Mihi tamen verisimile non est, talem fuisse abusum in Ecclesia eo tempore: nam est tam manifestus error, tamque contrarius veritati sacramentis, vt verisimile non sit solitos fuisse fideles illo modo confiteri saltem regulariter, aut frequenter, vt propterea necessarium fuerit illam legem condere, aut renouare. Prius enim illa constitutio facta fuerat, vt supra ostendi, non tam propter abusum, quam ad diuisionem parochiarum faciendam & explicandam, vt maxime constat ex Dionysio Papa in capitul. *Ecclesias*, decima tertia, quaestio. prima Facilitas ergo introduci potuit consuetudo, vt postquam aliquis vni erat confessus, vellet eius sententiam mutari quoad penitentiam, vel satisfactionem exhibendam, aliumque sacerdotem adire, non quidem omnino alienum, sed eorum, qui in eadem Ecclesia iurisdic-

Ex istis di-
uino non
datur facul-
tas. Nec ex
iure Pontifi-
cis.

21

jurisdictionem habebant, cuique posset iterum se committere: & aliud genus penitentiae postulare, veluti à priori sententia appellando. Hoc ergo videtur esse quod Urbanus in illo capitul. placuit, fieri prohibet, vt cætera verba quæ ponderauimus, satis declarant. Quem sensum indicauit Soto distinct. 18. quæst. 4. articulo secundo, satisque probabiliter coniectat, cum Urbanus illos prohibet recipi ad penitentiam, loqui de penitentia publica, quæ olim erat in vsu, & agenda erat iuxta præscriptum confessoris: & ad hanc mutandam noluit Pontifex patere accessum ad alium sacerdotem, etiam si alias potuisset esse iudex, postquam causa alteri iam commissæ erat.

Iuxta hanc ergo interpretationem per illam exceptionem, Nisi per ignorantiam illius, cui penitens prius confessus est, nulla facultas conceditur ad eligendum confessorem, qui jurisdictionem habeat in penitentem propter solam ignorantiam proprii Parochi: & per se esse fere incredibile hoc esse commissum iure communi omnibus penitentibus, doctis, & indoctis, bene, vel male affectis erga suos parochos: neque talis facultas videtur esse in vsu in Ecclesia, vel vnquam fuisse: & ideo fortasse Concilium Lateranense simpliciter, & absque tali exceptione locutum est. In dicto ergo capitul. placuit, solum additur per illa verba moderatio quædam illius rigoris, quem lex ibi lata præ se ferre videbatur. Cum enim hoc iudicium sit maxime voluntarium ex parte penitentis, & quasi arbitrium ex parte confessoris quoad penitentiam imponendam, arduum videtur poterat cogere penitentem ad standum iudicio & sententiæ primi confessoris, ita vt non possit ab alio mutari, etiam si de nouo se illi committat.

24
Declaratur
vult. dist. c.
placuit.

Nihilominus tamen propter reuerentiam sacramenti, & honorem confessoris, & ob vitandam etiam ignauiam penitentium, prudentissime illud statutum fuit, cum illa tamen moderatione, quæ ex natura rei videbatur necessaria & quasi debita penitentibus, Nisi per ignorantiam, &c. Cuius sensum esse existimo, id est, Nisi prior sententia quoad penitentiam iniunctam manifestum contineat errorem, huius rei iudicium non ipsi penitenti, sed alteri confessori intelligimus esse commissum. Vnde ex vi illius textus non prohibetur sacerdos audire confessionem prius alteri factam; sed ita audire, & iudicare de illa, vt mutet penitentiam ab alio iniunctam, nisi manifestum errorem in illa perspiciat. Atque ita cessat illa quæstio, an hæc exceptio ignorantie extendenda sit ad alias causas similes: quia iuxta hanc intelligentiam non tam est sermo ibi de ignorantia personæ, quam de ignorantia seu errore, qui in illo facto intercessit. Vnde siue ortus fuerit ex propria ignorantia speculatiua, vt sic dicam, siue ex malitia & errore practico, locum habet prædicta moderatio: idque optimæ ratione: nam æquitas iustitiæ quæ id postulat in vtroque casu, & nomen ignorantie satis proprie explicatur illo modo, vt vtrumque casum comprehendat. Et merito Pontifex illa voce vsus est, quia quoties talis error in sententia inuentus fuerit, potius ignorantie, quam malitiæ tribuendus est. Quapropter, quoad hanc partem non est dubium, quin illa lex hoc modo intellecta, licite possit à confessoribus in praxi seruari. Quoad alteram vero partem prohibentem hanc mutationem penitentiae simul iniunctæ, postquam penitentia publicæ cessarunt, etiam existimo quodlibet ius positum in hac parte cessasse. Quid vero in hoc confessoribus liceat, dicemus infra, agentes de satisfatione.

SECTIO III.

Vtrum aliqui habeant, vel habere possint facultatem eligendi confessorem ex sola consuetudine.

Ratio dubitandi sumitur ex capit. 2. de Penitentia & remiss. in sexto, vbi dicitur, nulla consuetudine introduci posse, vt aliquis valeat sibi eligere confessorem sine licentia proprii sacerdotis, & supra reddebamus rationem, quia hoc est contra ius diuinum, quod nulla consuetudine reuocari potest. Atque ita simpliciter tenuit D. Ant. supra capitul. 19. §. 19.

Ratio dubitandi.

Anton.

In contrarium autem esse videtur vsus in multis casibus; nam Parochi vtuntur hac facultate sine speciali licentia Episcoporum vnde, cum non habeant à iure, videntur habere ex consuetudine. Item videtur esse de simplicibus sacerdotibus, & de quibusdam aliis personis in dignitate constitutis. Item confessionem venialium, & jurisdictionem ad illam multi putant esse sola consuetudine introductam. Et confirmatur, quia consuetudo potest dare jurisdictionem iuxta capitul. Cum contingat, de Foro competent. & sumitur ex capit. Discreti, de Arbitris. Sicut è contrariio consuetudo auferit jurisdictionem; vnde aliqua peccata dicuntur esse consuetudine reseruata. Propter hæc ergo posteriorem hanc sententiam secuti sunt Hostiensis, Raymundus, A. lenis, Gerson, Guillelmus de Monte Lugduno, quos refert Gabriel lectio. tertia in canonem, & ipse admittit hanc sententiam esse magis piam, & sufficientem ad excusandum, quamuis alteram dicat esse tutiorem. Hanc etiam sententiam sequitur Natarrus in dicto capitul. placuit, num. 30. & sequentibus, sumitur ex Caieta. verb. Absolutio 2. Soto distinct. 18. quæst. 4. art. 2. Et mihi etiam probatur si recte explicetur.

Conuaria sententia quæ probatur.

Hostiensis.
Raym.
Alenf.
Gerson
Guillelmus de Monte Lugduno.
Gabr.
Nauarr.
Caiet.
Sotus.

ASSERTIO.

Dicendum ergo censo, vbi confiterit talem consuetudinem introductam esse, & videntibus, ac tacentibus ordinariis pastoribus bona fide exerceri, eam sufficere, vt penitentes secure possint vti hac facultate, quamuis hæc non tam perspicua consuetudinem detur, quam data significatur. Prior pars satis probatur argumentis secundo loco factis. Posterior vero suadet prioribus argumentis: quia sola consuetudo per se sumpta, non habet vnde possit hanc facultatem tribuere: ergo si proprie loquendum est, solum est signum sufficiens facultatis concessæ à pastoribus, & nunquam reuocata, sed quasi per tacitum consensum perpetuo durantis. Non est enim verisimile illam consuetudinem inchoatam esse per confessiones factas, & re ipsa nullas, & per eas solas introductam esse: hoc enim iuri diuino repugnat: signum est ergo præcessisse facultatem aliquam, saltem generalem, nunquamque fuisse reuocatam: & ita ex vi talis concessionis quasi continuatæ consuetudine fuisse introductam. Nec videtur, moraliter loquendo, alio modo potuisse introduci: quia recurrendo ad initium consuetudinis, interrogo, an qui cœperunt vti hac facultate, id fecerint de licentia sui proprii sacerdotis, vel omnino absque illa: si primum dicatur, non fuit proprie hæc facultas consuetudine acquisita, sed origo eius fuit facultas superioris, quæ per consuetudinem conservata est, & ipsa facultas videtur fuisse causa talis consuetudinis: si vero dicatur secundum; ergo omnis ille vsus jurisdictionis in principio talis consuetudinis erat nullius momenti, & contra dicitur.